

vel unus numerus *absolute primus* ab α diversus est vel immediate, vel facta resolutione in factores, ut §. 122 meminimus.

§. 125. Coroll.

Productum ex n numeris *absolute primis* neque per unum numerum *absolute primum* a factoribus producti illius diversum, neque per productum ex quocunque et quibuscunque numeris integris, inter quos vel unus numerus *absolute primus* a factoribus producti illius prioris diversus est (vel immediate, vel facta resolutione in factores, ut §. 122 dictum est), sine residuo dividi potest.

Quodsi enim esset vel $\frac{\alpha \times \beta \times \gamma \times \dots}{a} = q$,

vel $\frac{\alpha \times \beta \times \gamma \times \dots}{a \times b \times c \times \dots} = Q$ numero cuidam in-

tegro, foret quoque $\alpha \times \beta \times \gamma \times \dots = a \times q$, vel $\alpha \times \beta \times \gamma \times \dots = a \times b \times c \times \dots \times Q$ contra §. 122 et §. 123.

§. 126. Coroll.

Productum multiplicatione numerorum *absolute primorum* ortum, oriri nequit multiplicatione aliorum numerorum integrorum, nisi hi compositi sint e factoribus producti prioris. Neque vero productum e numeris *absolute primis* sine residuo dividi potest per quem-